

EXCERPTA
 CONTROVERSIARUM
 ILLUSTRUM,

D E

COMPEN-
 SATIONIBUS,

PRÆSIDE

*VIRO Nobilissimo, Amplissimo,
 Consultissimo atque Excellentissimo*

DN. JOHANNE HENRICO
 FELTZIO,

J. U. D. Pandect. & Juris Canonici
 Profess. Publ. Ordinario Celeberrimo,

*SOLENNI Disquisitioni
 sistit*

JOH. NICOLAUS KÜBLER,
 Weilerensis,

Ad D. 28. Maij Anno MDCCLVI.

ARGENTORATI,
 Literis JOSIÆ STÆDELII, Acad. Typogr.


EXCERPTA
CONTRORSIARUM
ILLUSTRIUM
DE
COMPEN
SATIONIBUS

RESIDE
VIRO Nobilissimo, Augustino
Commissarius in curia
DR. JOHANNES HENRICO
FELTIO,
J. U. D. Paderb. & juris Canonici
Profess. Publ. Ordinario Celebrissimo,
JOSEPH. DUBOIS

JOHNICOLAUS KÜBLER
Wolffenbüttel
M. D. C. C. C. C. C.

CAEDENTORATI
Eius JOSEPH. STEDELL





PRÆLOQUIUM.



Postquam studio juris
ante hoc quinquen-
nium primum in Fri-
burgensi Academia
inde in Universitate Lutetiana
per biennium operam dedi, po-
tuissem equidem tunc profectu-
um meorum in studiis non sine
successu edere specimen. Verum
nescio quo fato à Themide inde

A 2

ad

ad Bellonam distractus, per plures annos, quod incoeperam & jam ad aliquam maturitatem adduxeram, studium deserui. Postliminio autem ab armis ad libros revocatus per annum integrum repetere id quod olim didiceram annisus sum. Atque nunc animum induxi vires meas ipse explorare, & in Cathedra Academica certamen inire. Placuit huic instituto compensationum materia, cui à frequentia forensi non parum pretij accedit, quæque Controversiis palæstra dignis non est destituta. Sit itaque

Controv. I.

Controversia I.

Utrum compensatio juri Naturali conveniat?



Videri posset hæc quaestio neganda esse, eo quod Jus Naturale requirat satisfactionem, sive solutionem naturalem ejus quod debetur. Itaque si Titio debeam 1000. Imperiales, & ipse mihi vicissim debeat 500. Imperiales, videtur recta ratio hoc dictare, ut ego solvam ipsi quod debeo; salvo jure petendi ab eo quod ipse mihi debet. Neque enim una obligatio alteram tollit per se & sua natura; cum etiam ex diverso prorsus fonte proficisci possint. Possum enim ut sub exemplo semel proposito rem declarem, Titio debere 500. ex legato, ille vero mihi 1000. ex mutuo.

Verum hæc non impediunt, quin statuamus,

tuamus, J. Nat. compensationem non esse contrariam. Etiam si enim recta ratio dicitur debitum solvendum esse, & creditori satis faciendum, modum tamen quo id fiat, non præcisè imperat. Et quid interest, quæso, quo remedio creditori satis fiat, dummodo satis fiat? Itaque ex rationibus civilibus & quidem maximi ponderis introducta est compensatio, ut sc. alter alteri eo facilius & commodius quoad debitum satisfacere queat. Quæ enim difficultates orirentur quotidie, si debitores & creditores mutui sibi reipsa & naturaliter absque compensationis civili remedio satisfacere deberent? Propono rem in specimine: Mercator Francofurtanus Argentoratensi debet 2000. hic illi vicissim 1000. nonne absurdum foret, illum huic mediantibus literis cambii, curare ut solvantur Argentorati 2000. Imperialium & hunc vicissim ut illi solvantur 1000. Francofurti eodem medio providere. Effet hoc actus præter necessitatem multipli-

tiplicare, quod nec philosophi rationabile judicant. Sed & commerciorum inde cursus maximis contra emolumentum publicum impedimentis intricaretur, conferantur quæ decisioni nostro inserviunt, l. 1. § 21. π. h.

Controversia II.

Utrum ille qui juravit se soluturum esse, possit postea Compensationis exceptionem proponere?

RRO negativa militat auctoritas jurisjurandi, quæ maxima est, non jure tantum humano sed & divino. Itaque qui juravit se soluturum, videtur solvere debere, non compensare. Nec enim compensatio potest dici vera realis & naturalis solutio. Ita etiam si qui compensat civiliter solvere dicatur tamen qui speciatim & diserte juravit se solutu-

311



lurum huic exceptioni juris civilis videtur renunciasse.

Verum non tamen hæc controversia ita indistincte est in affirmativam decidenda, sed potius distingu. Utrum eo tempore quo juravit debitor, jam adfuerit ex parte creditoris debitum reciprocum an vero non adfuerit. Quod si jam adfuerit, videtur creditor qui ab altero juramentum de solvendo exegit, id nominatim in intentione sua habuisse ut sibi caveat de solutione naturali ab altero citra exceptionem compensationis præstanda. Adeoq; & alter jurando censetur compensationi hactenus renunciasse. At aliud prorsus est juris, quando postquam juravit debitor de solvendo, debitum ex altera creditoris parte supervenit. Tunc enim omnino compensationem potest opponere, quoniam cessat qualitas sub qua juravit, *vid. Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 13. n. 20.* Jam autem omnia negotia sub hac fiunt conditione & clausula tacite

cite subintellecta: *rebus sic stantibus*, l. 38. princ. π. de solut. & liberat. Itaque superveniente mutuo debito compensatione ipso jure debitum esse definit, l. 10. princ. l. 21. π. l. 4. Cod. h. & perinde ac si naturaliter esset præstitum, solutum esse dicitur, l. 4. §. 7. π. de re judicata, l. 19. π. de liberali causa, l. 76. π. de verborum signif. l. 4. π. qui potiores in pignore. Et hanc distinctionem in judiciis observari testantur Hier. Magonius, Covarruv. Bach. & alij.

Controversia III.

An compensatio locum habeat adversus civitatem & fiscum?



Offet in negativam allegari, quod fisci magnus sit favor, qui id operatur, ut sæpius jura hic pecuniaria locum habeant, cujus favoris fundamentum consistit in utilitate publica,

B

quæ

quæ ex fisco ad tuendum Reipublicæ statum resultat. Itaque inter alia privilegia fisci est, quod debitoris sui debitores exigere possit, *l. 3. §. 8. π. h.* quod bona contrahentium cum fisco tacito eidem pignore obligentur, *l. 46. §. 3. π. h.* quod eidem competat jus prælationis, *unde proverbium: Herren und Heilige gehen über alles/* quod tamen cum distinctione capiendum; item quod debitum ante diem elapsum exigere possint, *l. 1. Cod. de condict. ex lege.* Unde non videtur analogiæ juris esse contrarium si & in compensationibus eidem Jus aliquod singulare ac privilegiatum adfertur eamus.

Verum existimo tamen regulariter etiam contra fiscum compensationem dari, quoniam in dubio fiscus utitur Jure privatorum. Sed & huc faciunt leges ex Jure Romano disertæ, *l. ult. π. de comp.* ubi *Imperator jussit audiri adprobantem sibi à fisco deberi in quod ipse convenitur.* Ita in *l. 46. §. 5. π. de jure fisci* Hermogenianus ait,

ait, ut debitoribus fisci, quod fiscus debet, compensetur, saepe constitutum est: & in §. precedenti non negat compensationem opponi posse fisco, sed tempus modo, intra quod debitum reciprocum probandum est, coarctat.

Dantur tamen plures exceptiones ab hac regula, quæ videri possunt apud *Laut. h. §. 8.* & amplius atque solidius propositionæ apud *B. D. Schilterum exercitatione ad π. 28. §. 27. & seqq.* Una ex præcipuis est, quod compensatio locum non habeat, si fisco ex diversa statione debetur, aut si ad praxin hodiernam applicare velimus, ex diversa præfectura exempli gratia, cujus ratio est ne confusio oriatur in rationibus præfecturarum. De cætero hæ ipsæ exceptiones in casibus non exceptis regulam supra à nobis traditam magis confirmant.

B 2 Controv. IV.

Controversia IV.

*An Procurator in rem suam
uti possit exceptione com-
pensationis contra debitum
proprium quod alter ab ipso
exigit ?*

Propositioni status Controversiæ
inservit, quod procurator in rem
suam Romanis vocetur creditor,
cui debitor solutionis causa actiones ad
versus creditorem suum mandavit, ut in-
de sibi ipse solveret, *vid. l. 3. Cod. de no-
vationibus*. Casus ergo, de quo quæritur,
hic est: ego Titio debeo 1000. florenos
Mevius mihi debet 500. Tit. mando ut à
Mev. exigat hos 500. ut hac ratione ipsi
Tit. pro parte satisfiat, exigit Tit. à Mev.
500. verum cum Mev. Titius ipse proprio
nomine debeat 200. Mevius Titium hoc
nomine convenit. Quæritur an Titius ex-
ceptio-

ceptione compensationis uti possit contra Mev. ex debito, quod meo nomine exigit.

Videri posset, omnino compensationem locum habere debere, quoniam procurator in rem suam habetur loco domini, & lis eius propria dicitur in *l. 25. π. de procurat.* adeoque videtur idem esse ac si dominus ipse Mevio aliquid deberet, & Mevius à Titio suum debitum peteret, in quo casu indubium est, exceptionem compensationis valide proponi.

Verum negat tamen quæstionem propositam *Papinianus l. 18. π. de compensat.* ait enim: *in rem suam procurator datus post litis contestationem si vice mutua conveniatur est æquitate compensationis utitur.* Ex quibus verbis patet, de procuratore in rem suam non aliter ex mente Jurisconsulti dici posse, quod exceptione compensationis uti queat, quam si litis contestatio præcesserit. Per hanc enim demum procurator in rem suam fit dominus, antea autem res adhuc est integra, ita ut ipse

10. 30

B 3

man-

mandans possit experiri & exigere debitum, l. 3. *Cod. mandati*. Exceptiones hujus decisionis vid. apud B. *Schilterum exercitatione* 28. §. 18.

Controversia. V.

An adversus cessionarium exceptio compensationis possit à debitore opponi, quæ poterat adversus cedentem?



Cessionarium in quæstione hac intelligimus ex usu fori nostri illum, qui statim acquirit dominium nominis per cessionem sive ea donationis sive venditionis titulo facta fuerit, vid. l. 33. *Cod. de donation.*

Negant hanc quæstionem *Bart. Castrensis, Afflictus, Anton. Fab. Carpzov. & alij*, si cessio fiat ex causa onerosa; affirmant si ex causa lucrativa. Rationes negandi prius membrum adducunt, quod cessio-

cessionarius non fit obligatus debitori. cui cedens est obligatus; quod contra tertium non detur regulariter exceptio compensationis, ergo nec adversus cessionarium; quod compensatio contra cedentem competens fit debiti illiquidum adeoque incompensabilis, quia cessionarius illud inficietur.

Verum hæ rationes non impediunt, quo minus affirmativam amplectamur. Atque de eo quidem casu, ubi cedens ante cessionem exceptionem compensationis opposuit, minor militat dubitandi ratio; sed & in eo etiam casu, ubi non fuit opposita, controversiam asserimus.

Fundamentum decisionis aliqui in eo ponunt, quod nomen cessum semel sit ipso jure compensabile, sine qua qualitate cedi non possit, nec à cedente debitoris compensare valentis conditio deterior reddi; hinc compensatio à Doëtoribus vocatur exceptio in rem, *vid. l. 7. π. de exceptino*. Melius videtur à *Celeberrimo*

Schil.

Schiltero exercitatione 28. §. 23. ad π. ratio decidendi in eo collocari, quod cessio omnis præsumatur facta esse salvo jure & sine præjudicio tertii. Jam autem fieret in præjudicium debitoris cessi, si ipsi Jus compensandi denegaretur, quod à lege sibi concessum habet. Adde quod obligatio quam cedit creditor contra debitorem cui & ipse debet, jam censeatur ipso jure fuisse extincta, adeoque cessio facta esse nulliter, nisi in quantum post compensationem factam, debitor creditori cedenti adhuc in debiti residuo manet. Plane, quin cessionario hoc nomine detur regressus contra cedentem, nemini debet esse dubium.

Controversia VI.

*An opponens compensationem
censeatur hoc ipso debitum
confiteri?*

Affir-



Ffirmant plares, Doctorum, *Baldus* in *l. cum Papinianus Cod. de sentent. & interloc. Natta consilio* 134. n. 6. *& consilio* 684. n. 1. *Surdus* *decisione* 24. n. 7. *Merenda, lib. 5. controversiarum cap. 36. Laut. ad tit. π. de compensat. §. 26. Christinaus decis. 40.* Adducunt rationes, quod compensatio sit debiti atque crediti contributio, itaque qui eam opponit, necessario & semper præsupponat debitum. Neque est cur opponatur eum, qui dicit se solvisse per id non fateri debitum, nam solvi potest etiam indebitum sed compensari non potest, nisi debitum & creditum reciprocum. Verum placet tamen defendere sententiam negantium, quales sunt, *Alexander* in *l. 10. π. de verborum oblig. n. 29. Fe- linus* in *caput venerabilis, n. 17. extra de except. Fachinaus lib. 11. contro. cap. 6. Mæstertius tract. de compens. Q. ult.* Fundamentum primo suppeditat, *textus expressus* in *l. 9. π. de except. & in cap. 63.*

C

de

de regulis juris in 6. & secundo huc facit quod compensatio non alia mente à reo objiciatur quam ad excludendam intentionem actoris, actiones autem nostræ ultra intentionem nostram nil operantur, l. 19. π. de rebus creditis, l. 19. pr. π. de legatis 1. non ergo ad fundandam intentionem actoris; nemo enim in dubio videtur illam elegisse viam qua se ipsum expugnaret & adversarium juvaret, arg. l. 3. π. de milit. testam. Adde quod compensatio sit quasi solutio, l. 4. Cod. h. l. 54. π. de solut. l. 45. de condit. & demonstrat. itaque idem Juris erit in exceptione compensationis, quod est in exceptione solutionis.

□ Cautelæ interim loco notari debet, ut ille qui adversarii creditum non vult fateri, compensationem non simpliciter sed in casum & cum clausula expressa si apparuerit se debere, opponat.

Controv. VII.

Controversia VII.

*An compensatio locum habeat,
si species utrinq; debeatur,
vel si ab una parte species ab
altera quantitas debeatur?*

Posset in affirmativam allegari quod ex utraque parte adsit debitum, & quidem quod supponimus liquidum; itaque nil videtur obfistere, quo minus contributio & exæquatio fiat per compensationem.

Verum rectius tamen negatur quæstio sive de specie ad speciem, sive de specie ad quantitatem sermo sit, quo pertinent, *l. 18. princ. π. de pign. action. l. 26. §. ult. π. de condict. indeb. l. 17. §. 2. π. de pignoribus l. 4. Cod. h.* Suffragantur rationes juris, quod aliud pro alio invito creditori solvi non possit, *l. 2. §. 1. π. de rebus credit. l. 4. §. 3. π. de re judicata. l. 21. §. f. π. de const.*

const. pecunia, princ. instit. quibus modis tollitur obligatio. Compensatio autem habetur in Jure pro solutione, l. 4. Cod. h. Sed & nemo invitus emere, vendere, vel permutare, cogitur l. 16. Cod. de Jure deliberand. l. 5. Cod. de oblig. & action. quod si vero locus daretur compensationi speciei cum quantitate; cogeretur creditor cui pecunia debetur emere illam rem quam detinet, vel vendere, si à suo debitore cui vicissim aliquid debet, detineatur, vel permutare si utrinque species debeatur & alia species vicissim possideatur. Conf. tamen Controv. IX, infra.

Controversia VIII.

An compensari possit pecunia in certo nummorum genere debita cum pecunia quæ in alio genere, vel etiam simpliciter vicissim debetur?

Casus



Asus hic est: Titius mihi debet 100. Ludovicianos argenteos, ego ipsi certam summam debeo Ludoviciorum aureorum vel etiam in corrente moneta, tantum quantum conficiunt 100. Ludoviciani argentei in specie uti vulgo dicimus.


Videtur adserenda esse quæstio, eo quod debitum utrinque supponatur liquidum, vel facili opera liquidandum, ita ut computetur quid in respectu ad monetam currentem, quam dicimus, valeant vel argentei, vel aurei Ludoviciani, ut & quid in respectu ad se invicem valeant. Proinde nil impedire videtur quin compensatio fortiatur locum.

Sed & hic negantium me partibus addico ex iisdem ferè, quæ in præcedenti controversia adductæ sunt, decidendi rationibus. Nimirum qui compensat solvit; solvi autem debet id quod debetur præcisè; cui obligationi non satis facit, qui in locum Ludovicianorum aureorum substituit

tuit argenteos , aut pecuniam vulgarem
& creditori non consentienti obtrudere
cupit, *vid. l. 16. cum seq. Cod. de solut. §*
l. 18. princ. π. de pignor. act. atque ita in
praxi iudicari testis est, *Ant. Fab. in Cod.*
b. tit. definitione 2.

Controversia IX.

An compensatio procedat ea-
dem ratione in actionibus
realibus qua in personali-
bus ?

 Eganium partes stabilire videtur,
quod compensatio fit debiti &
crediti inter se contributio, *l. 1. π. b.*
jam autem debitum proprie est correla-
tum juris ad rem non juris in re, quod parit
actionem realem ; unde etiam per actio-
nem in rem non quod nobis debetur, sed
quod nostrum est persequi dicimur, §. 1.
instir.

instit. de action. & videtur hæc sententia de veteri Jure Romano verior.

Cæterum Justinianus in *l. ult. Cod. h.* affirmat quæstionem; *compensationes*, ait *ex omnibus actionibus ipso Jure fieri sancimus nulla differentia in rem vel personalibus actionibus inter se observanda*, conferratur §. 30. *instit. de action.* Debiti enim vocem Justinianus latè sumi voluit, ut complecteretur id omne quod æquum est præstari, sive ex Jure in re, sive ex Jure ad rem. At quando compensatio in actionibus realibus locum sortiatur nodus est quem variè dissolvere conantur interpretes. Plurimi censent præsupponendos esse terminos habiles ita ut rei petitæ & objectæ qualitas ac natura patiatur compensationem. ex. gr. quando res culpa aut dolo conventi debitoris corrupta est, vel alias non restituitur adeoque ad æstimationem devenitur, vel juramento actoris vel à judice faciendam. Alii existimant judicem æstimare posse rem petitam, & si de

fi deprehendit, tantum ex altera parte de-
 beri reum absolvere ; cui consequens est
 ut idem obtineat, quamvis ab altera par-
 te minus, vel utrinque species debeatur,
 ita tamen ut quod redundat restituatur.
 Ego extra dubium colloco Justinianum
princ. l. ult. Cod. h. extendere voluisse
 compensationem etiam ad species certa
 ratione.

Verum quando quæritur quomodo
 ineunda sit compensatio cum Collegio Ju-
 ridico Argentoratensi, *Thesi. 9. n. 9. Thesi.*
10. n. 6. h. censeo, eam non fieri per se
 cum per rerum naturam corpus non pos-
 sit mutuo debito imminui, sed per acci-
 dens prævia corporum æstimatione à Ju-
 dice facienda ; quod si igitur ab alio fun-
 dum Titianum petam, illi Mevianum aut
 aliam speciem debeam, improprie qui-
 dem in actione hac reali opposita com-
 pensatio locum habebit, non equidem
 ita ut hinc inde ab obligatione prædio-
 rum simpliciter liberemur, quod aut esse
 pro-

propter diversitatem, aut haberi propter affectionem pluris possit alterum: Sed ita ut (1.) debitum utrinque judici approbetur, (2.) æstimatio debitæ speciei fiat, (3.) possessori adjudicetur, (4.) superfluum quod mutui debiti quantitatem excedit, si modo excedit, restituatur.

Controversia. X.

Annon Compensatio debiti illiquidi saltem per modum exceptionis admittitur?

Quod debitum compensari non possit, nisi sit liquidum, communis Juris regula docet: *liquidum cum illiquido non est compensatio*, id quod in eo sensu omnimodo verum est, ut debitum liquidum ab una & illiquidum ab altera parte, se invicem ipso Jure non tol-
D
lant

lant vel extinguant, neque adeo mutui debitores ipso jure invicem liberentur. Sed quæsitum fuit, an non per viam exceptionis admitti possit debiti illiquidi compensatio.

Pro affirmativa facit, quod ex rescripto Divi Marci in stricti Juris judiciis opposita exceptione doli mali compensatio inducatur. Addi posset quod sicut aliæ exceptiones puta pacti conventi, jurisjurandi, solutionis factæ &c. allegari queant, eo effectū ut ad probandum allegans admitatur, si modo initio litis sint contestatæ, *l. 9. de præscript. longi temporis l. 8. Et seq. Cod. de prob. l. ult. Cod. de solut. l. 9. π. de prob.* Sed & huic sententiæ patrocinari videtur *Cajus* qui in *l. 8. π. h. ait: in compensationem etiam id deducitur quo nomine cum actore lis contestata est.* Diceres & Imperatorem Antoninum hoc firmare, in *l. 6. Cod. h. rescribentem, his verbis: non prius exsolvi quod debere Te constiterit æquum est quam petitioni mutua responsum fuerit.*

Verum

Verum negativa tamen juris analogiæ conformior est. Ita enim *Imperator Justinianus in l. 14. Cod. h. compensationem obijci jubet, si causa ex qua compensatur liquida sit & non multis ambagibus innodata, sed possit judici facilem exitum sui prestare.* Itaque subjicit compensationes, si iudices invenerint, eas majorem & ampliore exposcere indaginem, alii iudicio reservandas esse, ne moratorii ambagibus spes condemnationis excludatur. conferatur §. 3. *instit. de act. & Cuiacius lib. 8. observ. cap. 16. & lib. 15. cap. 12.*

F I N I S.



Veritas negativa tamen iuris analogia
 conformior est. Ita enim interpretatur
 in fine l. 1. Cod. de consensibus
 per verba. Et ratio est quia consensum
 quidem sic non nullis ambigunt
 verba. Sed postquam factum est
 per verba. Idque subditur
 si indices inveniuntur casus
 plerumque expone in dubium. In
 totumque esse. de minoribus
 casibus condempnatio excluditur.

Actum. s. in fine de ad. et Curiam
 lib. 4. obiter cap. 1. §. 1.

F I N I S



Straßburg, Diss., 1704-08

ULB Halle

3

005 359 848



VD 08





893

EXCERPTA
CONTROVERSIARUM
ILLUSTRUM,

7
1706, 4

DE
COMPEN-
SATIONIBUS,

PRÆSIDE
*VIRO Nobilissimo, Amplissimo,
Consultissimo atque Excellentissimo*

DN. JOHANNE HENRICO
FELTZIO,

J. U. D. Pandect. & Juris Canonici
Profess. Publ. Ordinario Celeberrimo,

SOLENNI *Disquisitioni*

assistit

JOH. NICOLAUS KÜBLER,
Weilerensis,

Ad D. 28. Majj Anno MDCCLVI.

ARGENTORATI,
Literis JOSIÆ STÆDELII, Acad. Typogr.

